



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Reiffenstuel, Anaklet

Monachii, 1699

§. I. De Impedimento Erroris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40206

plementi, art. 1. tum Scotus 4. dist. 42. alique referunt: breviter dicta Impedimenta in hac Quæstione declarantur, majoris tamen claritatis gratiâ de singulis (speciales Paragraphos instituen- do.

§. I.

De Impedimento Erroris.

51. **E**rror quantum ad propositum, quadruplex intelligi potest, scilicet personæ, fortunæ, conditionis, aut qualitatis. *Error personæ* est, quando erratur circa personam, purando, se contrahere cum tali persona, & est alia: prout contigit Jacob Patriarchæ, cui putanti se contrahere cum Rachele, loco hujus fuit supposita Lia, soror ejus, Genes. 29. Et hic Error personæ, juxta omnes Doctores, dirimit matrimonium; idque non solum Jure Ecclesiastico, sed etiam Jure naturæ: quia aufert consensum ad substantiam matrimonij requisitum, utpote cum quis velit cum tali determinata persona contrahere, & non cum alia. Unde matrimonium Jacob cum Lia, à principio fuit nullum; quamvis postea accedente novo ipsius Jacob consensu, fuerit convalidatum. Et de hoc errore personæ loquitur præfens Impedimentum.

Error personæ dirimit matrimonium.

52. *Error fortunæ*, quando quis putatur esse dives, qui est pauper. *Error qualitatis* est, quando contingit errari circa qualitates alicujus personæ: ut dum quis putatur esse bonus, vel pulcher, qui malus est, aut deformis; vel virgo, aut hujusmodi, & non est. Et istum duplicem errorem, qualitatis scilicet, ac fortunæ (dummodò adsit absolutus consensus, neque ejusmodi qualitas deducatur in conditionem contractûs; neque error ille qualitatis involvat errorem circa ipsam substantiam personæ) nullatenus dirimere matrimonium, consentiunt Doctores. Ratio est: quia error iste non contingit circa substantiam matrimonij, sed solum circa ejus accidentia; ac proinde est solum accidentalis. (g)

Error fortunæ & qualitatis, quis, & an matrimonium dirimat?

53. Tandem *Error conditionis* est, quando quis putatur esse liber, qui est servus. Et de hoc Errore agetur ex professio in sequenti Paragrapho; hinc sit

(g) Adde dicta Tr. 8. Dist. 1. n. 14. & 15. Error conditionis, quis?

